

buisse a Tafurio, tertiam Uritanam n. 227 acceptam fortasse ex Ughellianis, denique quartam Uzentanam n. 1* ab ipso confictam.

VII. PRATILLIVS genuinas nullas ineditas ex hoc agro habuit; a se fictarum non ita paucas huic provinciae dedicavit.

VIII. Caietanus MIGLIORE in 'commentario ad inscriptionem Flaviae Antoninae sive de antiquis Iudaeis Italicis exercitatione epigraphica', quae legitur ad calcem Lupianorum in cod. Vaticano 9143 p. 113—165 cum adiunctis epigrammatis excerptis ex adversariis eiusdem Migliore

p. 166—171, quidquid proposuit non sumptum ex editis, vel maxime suspectum est, caditque id etiam in inscriptiones agri Sallentini quas refert auctorem laudans Damianum Montinari.

Inscriptiones Messapica lingua scriptae quamquam ab hoc corpore pro instituto eius absunt, commemorandus est commentarius diligenter factus Ludovici MAGGIVLI et ducis Sigismundi CASTROMEDIANO (*le iscrizioni Messapiche*. Lecce 1871. 8. pp. 72), quem si qua eius generis adleganda fuerunt adhibui utpote mea sylloge multo plenior.

I. LEVCA (S. Maria di Leuca). Tribu Fabia?

Ad promunturium Sallentinum (Sallustius apud Servium ad Aen. 3, 400; Dionys. 1, 51; Mela 2, 4, 68; Plinius 3, 11, 103; Ptolemaeus 3, 1, 13; tab. Peutingerana supra p. 1), Graece ἄκραν Ἰαπυγίαν (Strab. 6, 3, 5 p. 281, Plinius h. n. 3, 11, 100. 103, al.) proxime adiacet oppidum Leuca, cuius meminerunt Strabo 5, 3, 5 p. 281 (cf. Aristot. mirab. ausc. 100): ἔνθεν (a Vereto) εἰς τὰ Λευκὰ στάδιοι οὐδοήμοντα, πολὺ χιλιῶν καὶ τοῦτο et Lucanus 5, 376, ubi inter portus Calabriae Apuliaeque recensentur etiam *secreta litora Leucae*. Denique itinerarium maritimum p. 489 ab Hydrunto, ait, *litoraria Leucas provinciae (Calabriae) stadia CCC*. Nomen retinent et promunturium hodie *Capo di Leuca* dic-

tum et vicinus vicus S. Maria di Leuca. Titulos inde habemus perpau-
cos, ex oppidis autem vicinis sitis inter promunturium Sallentinum et Hydruntum Vereto olim Bari (Strab. 1. c.; Ptolemaeus 3, 1, 76; Plinius 3, 11, 105; gromatici p. 262; Peutingerana supra p. 1); Basta (Plinius 3, 11, 100. 105; Ptolemaeus 3, 1, 76); Castris Minervae (Strab. 6, 3, 5 p. 281; Dionys. 1, 51; Vergilius Aen. 3, 531 cum schol.; Probus ad Vergilii ecl. 6, 31 p. 15 Keil; Peutingerana supra p. 1) adhuc nullos. Leucam oppidum licet exiguum suam rem publicam habuisse videtur effici posse ex n. 6; nam decuriones, qui ibi locum dant, minus facile referas ad Veretum oppidum aliquantum inde remotum.

1 [=433] ad promunturium Sallentinum in parietibus cryptae Porcinara prope *la punta della Ristola*.

traditur:

I O M

O C O R D I V S

A Q V I A H N V S

V O T S O H E

5 CVAA PLEROMARHE

Δ O I S E T M E A A A Y

restituē:

I · O · M

Q · C O R D I V S

A Q V I L I N V S

V O T · S O L · L · L

C V M · P L E R O M A R I I S

.....

2 [=434]

F O R T V A T S · H · F · E

3 [=435]

E Y T Y A R E B E

4 [=436]

chirith: I O M

5 [=437]

a p h r o d o s e n t a i l i

6 [=438] cippus in oppidulo Patù non longe a promunturio Iapygio (*capo di Leuca*) prope portam coemeterii.

M · F A D I O · M · F · F A B · V A L E R I A N O

P O S T · M O R T E M

M · F A D I V S · V A L E R I A N V S · P A T E R

E T · M I N A · V A L E R I A N A · M A T

5 L · D · D · D

Misit Cataldi Gallipolitanus; versuum distributio arbitraria est.

I VALERINO Cat.

Tasselli *antichità di Leuca* (Lecce 1693) p. 201 (cf. p. 172) haec ita protulit corrupta et imperitia descriptoris et typorum penuria; versuum distributio mea est. Proficisci videntur a nautis qui navigiis in hunc portum reparatis Iovi vel Fortunae sacra facerent; cf. librum meum *die unterital*. Dial. p. 43.

II. CALLIPOLIS (Gallipoli).

Callipolim auctores duo soli nominant Mela 2, 4, 66: *urbs Graia Callipolis* et Plinius h. n. 3, 11, 100: *in ora . . . Callipolis quae nunc est Anxa LXXV a Tarento*. Praeterea in laterculo militum praetorianorum vol. VI n. 2375 c v. 6 quae legitur domus unius eorum CALCA fortasse significat *Callipolim* [*Calabriae*]; nam cognomines urbes fuisse et in Thracia (vol. III p. 133) et alibi notum est. Haec Callipolis ubi fuerit, ex nomine Graeco adhuc servato apparet; Latinum nisi apud Plinium non invenitur.

Itineraria Callipolim praetereunt utpote extra viam positam directam ab Uzento (Ugento) ad Neretum (Nardò); mansio tamen quae inter ea interponitur Aletium decimo utrimque lapide sita prope vicum *li Picciotti* ad ecclesiam antiquam q. d. *Santa Maria della Lizza*, et ipsa ad Callipolim pertinuerit necesse est. Ponunt eam Peutingeranum (*Baletium*) loco indicato; item Ptolemaeus 3, 1, 76 (Ἀλήτιον) hoc ordine: Uzentum — Baustra — Aletium — Neretum; denique Plinius 3, 11, 105 (*Aletini*) in mediterraneis Sallentinorum. Strabonis quoque locus 6, 3, 6 p. 282: ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ Ῥωδαῖαι τε εἰσὶ καὶ Λουπῖαι καὶ μικρὸν

ὕπερ τῆς θαλάττης Ἀλητία (codd. ὕπερ τῆς θαλάττης σαληπία) magis huc pertinet quam ad vicum decimo a Brundisio lapide Lupias versus Valesium, de quo vide quae dicta sunt p. 6. Eidem Aletio adiudicantur nummi Tarentinis simillimi inscripti litteris vetustis scriptis a sinistra a dextram ΦΑΛΕΘΑΣ vel ΒΑΛΕΘΑΣ et FE (*Bullett. arch. Napol.* n. s. 1, 169; Sambon *monn. de la presqu'île Italique* p. 226). Denique Messapice scripti tituli ex Aletii ruinis plurimi prodierunt. — Rem publicam Callipolim habuisse confirmat titulus n. 8 decurionis.

Uzentum, hodie *Ugento*, medium inter Leucam et Callipolim, cuius praeter auctorum testimonia (Liv. 22, 61, 12: *Uzentini*; vol. II. n. 4975, 32: *Uzentini*); Plinius 3, 11, 105: *Ulentini*; Ptolemaeus 3, 1, 76 Οὐζεντον; Peutingerana supra p. 1: *Uzintum*) etiam nummos habemus inscriptos modo Αοζε . . . modo Οζαν . . . (vide *unterital. Dialekte* p. 51; Sambon *monn. de la presqu'île Italique* p. 234), certos adhuc titulos non dedit; nam repertus Taviani n. 9 pari iure tam ad Uzentum quam ad Callipolim trahi potest.